

*Prospectus Methodi, Rem Pecuariam  
scientifice pertractandi,*

*Quem*

*Dissertatione Academica,*

*Suffragante*

*Ampl. Facult. Philos. in Reg. ad Auram Lyceo,*

*Publico Examini Subjiciunt*

*Praeses*

*Gabriel Bonsdorff*

*Phil. & Medic. Doct. Histor. Natur. & Art. Veter. Prof.  
Reg. & Ord.*

*Et*

*Respondens*

*Andreas Boxström*

*Stipend. Regius, Nylandus*

*In Audit. Minori Die XX Decembr. MDCCCLXXXVII*

*Horis ante meridiem consvetis.*

---

*Aboæ, Typis Frenckellianis.*

*Aliquam multa non dum sunt laudari solent, sed cum facta  
sunt: unde etiam minus cupidis opinionis plus fructus venit.*

**QVINCTIE.**

# METHODUS, REM PECUARIAM SCIENTIFICE PERTRACTANDI.

## PROOEMIUM.

E raditionis humanæ tabulam qui paulo attentius inspicerit, singularumque scientiarum fata et progressus æqua qui pensitaverit, trutina, conditionem fere insimam et valde depresso sortitam esse Pecuaria rei et Veterinæ disciplinæ, præter omnem expectationem deprehendet: Quod quidem tanto magis mirabitur ingenuus et gravis bonarum artium æstimator, quo manifestius sit cuique compertum, studium Veterinarium, ratione et antiquæ sive originis et eximæ utilitatis atque præstantiæ, ad discendum omnibus esse præclarum atque commendabile. Neminem enim fugere potest, usum atque curam animalium domesticorum, per tot annorum intervalla quotidianam, quam ipsis generi humano coextaneam esse, e Pandectis sacræ facile eruitur, opportunissimam præbuisse ansam, pecorum naturam atque cultum quam exquisitiissime investigandi; Nec latere quemquam debet, tam late tamque evidenter suam vim et fructus uberrimos diffundere rem pecuariam sollicite exultam, in omni re administranda, sive fuerit rusticæ sive domestica, publica vel privata, ut abesse vix ac ne vix quidem possit, quin ad solerterem sui culturam quemque fortunarum suarum providum fortiter impellat. Quamvis igitur non defuerint argumenta valida, quæ ad scientiam Mulomedicam condendam et augendam magnum sane momentum adulissent, illam tamen vilitatis notam eidem tribuebat vanitas et inertia eorum, qui liberales artes suscipiebant tradendas, atque inde pronata vulgi præconcepta opinio, ut adhuc hodie de honestate negotii mulomedici haud raro dubitari soleat. Atque hæc ista subest causa, quamobrem in tantum contentum et negligetur redacta sit Ars Veterinaria, ut scientia cognomine haudquam illam dignam judicaturus sit, qui præsentem ejus statum penitus cognoverit; licet et eundem auctorem vel primum inventorem, Chironem felicet jure suum vindicet ac Medicina Humana, et parili honore olim diu habita fuerit, non apud Græcos tantum, quorum perspicacia consummatissima omnis generis studia æquali fere sollicititudine amplectebatur, sed etiam apud Romanos, quibus nec fuit cura postrema, quod e testimonio Renati Vegetii, et collectione Ruelliana, (quæ

Veterum in re Veterinaria scriptorum reliquias mutilatas et depravatas, a funesto barbarie aeo superstites, iussu Constantini Porphyrogenetae Caesaris seculo decimo conservatas, comprehendit,) tuto colligitur. Duo imprimis sunt, materia scilicet et forma, ex quarum qualitatibus omnis estimari debet Disciplina. Quemadmodus enim in quolibet adificio extruendo, in eo praecipue cardo vertitur, ut proba sit et apta materia, et probus adhibeatur faber, qui perite atque venuste formam componere didicit; ita etiam in re litteraria, omnis scientiarum dignitas atque auctoritas in eo sita est, ut partim pracepta tradantur, non historicis tantum testimoniis confirmata sed et experimentis fideliter institutis, que in Mulomedicina quam maxime valent atque dominari debent, partim ordine legitimo e suis principiis ita deducantur omnia, ut conveniens eidem ne desit forma. Neutrum horum in Arte Veterinaria hucusque obtinuisse, e farragine librorum hujus argumenti apertissime colligitur, et praeterea exinde luculenter patet, exercitium et culturam scientie hujus utilissimae ferrifabris et stabulorum prefecitis ignorantie simulis, vel quibuscumque aliis nulla vel natura vel artis cognitione suffultis, commissam esse, a quorum imperitia et credulitatis fonte derivandum est, quod superstitionum et ineptiarum anilium adhuc sit refertiissima. Quod si igitur laudabile sit, et ingenuo dignum, lapsis rebus succurrere, magna quidem opera pretia mereri centendus est, qui scientiam Pecuarium collapsam ad meliorem constitutionem atque frugem revocare contenderit, quod laborem et experientiam plurimum statum postulare, a dubio remotum est. Interim Tibi, L. B. non ingratum fore speravimus, si, quam nobis elegimus in scientia Veterinaria pertractanda, methodum a nemine, quod sciens, antea receptam, publica disquisitioni subjiciamus, varias ejusdem farine lubricrationes in posterum pollicentes, modo non dispiceant primordia.

---

### §. I.

**A**rtem Veterinariam quam patentissime fines suos extendere, a materiæ quam eidem adjudicamus varietate atque multiformi indole, haud vana assequimur conjectura. Complectitur etenim omnia, quæ animalia no-

nostra concernunt domestica, in diversissimis terræ plagiæ propter eximiam suam utilitatem mansueta et exculta, scilicet *Equum Caballum*, *Bovem Taurum*, *Ovem Arietem*, *Capram Hircum* et *Suem Scropham*, quibus in temperata Zona *Equum Asinum*, atque in Meridionali cœli temperie *Cameli* species, adnumerare in primis solent; Accedit, a scopo haudquaquam alienum fore, si mentionem subjungeres *Canis nostri familiaris*, excubias pro nobis tanta fidelitate agentis, immo, quod scrupulos tibi forsitan moveret, *Pennigerorum manivectorum* e genere *Anatis*, *Meleagridis*, *Phasiani*, *Pavonis*, &c. quorum culturam atque curam appendicis loco adhuc superaddere velle. Quam igitur de Medicina Humana quondam tulit sententiam Hippocrates, esse artem longam, vitam vero brevem, de nostra scientia majore quidem jure prædicare tanto minus dubitamus, quo magis sit veritati consentaneum, tot diversa animantia, non tantum fabrica, ingenio et instinctibus, verum etiam ægritudinum, quibus obnoxia sunt, generibus inter se dissimilia, sigillatim potius quam generatim atque universe esse per sua capita commemoranda. Non quidem defuerunt, qui compendiariam ingressi viam, Veterinam Artem ita construere conati sunt, ut uno eodemque negotio transfigi possent omnia, quæ animalia spectant cicura, quorum alii methodum, quam Alphabeticam vulgo compellare solent, suam facientes, promiscue et tumultuarie substratum materiam sub diversis exposuerunt titulis, quemadmodum *BUCHOZ*, *CHOMEL*, *ROTZIER* et varii *Encyclopediarum Conditores* res pertractarunt *Pecuarias*, alii vero, in quibus *VITET* et *ERXLEBEN* præprimis nominari merentur, descriptionem fabricæ atque functionum et morborum Historias in certum atque determinatum ordinem redigere et in unum quasi corpus cogere allaborarunt; Inconvenien-

nientem tamen et ad implicandum magis quam explicandum pronam esse utramque docendi rationem, nemini judicatu difficile fore crediderim. Multo explicitius et expeditius cepisse concilium censendi sunt haud pauci, qui Equariam rem separatim exercere atque exponere sibi proposuerunt, peculiarem artem, quam, cognomine græcæ originis, Hippiatricam (medicinam equi) appellare iuverunt, professi, quorum principes meminisse juvat SOLLESERI, GARSAUT, SAUNIER, GYERINNIERE, Liber Baro de SIND, GIBSON, LAROSSE Pater et Filius, atque BOURGELAT, quilibet pro ingenii et experientia suæ modulo, equorum virtutes et vitia, usum atque in equitando regimen, cultum et generosæ prolis propagationem, constructionem corporis internam Hippotomiae nomine, tandemque morbos et eorum remedia Hippopathologiae titulo, plus vel minus distincte pertractantes. Forte etiam in hac ipsa methodo invenienda erit ratio, cur præ aliis rei pecuariæ partibus multo negligentius consideratis, feliores fecerit progressus Hippiatrica, quamvis non sit diffitendum vel prætereundum, singulare illud pretium, quod ab antiquissimis retro temporibus equis e nobiliore stirpe ortis, non tam propter venustam eorum formam quam intrepidum et generosum animum summamque docilitatem, imposuerunt omnes fere gentes, studium Hippiatricum per multum accendisse. Mancam nihilo tamen minus et decurritam præstiterunt disciplinam, quamcumque receperint methodum, quamdiu invaluerimus, Veterinam rem præpostere mutilatam inter Zoologos, Oeconomos, atque Mulomedicos distribuendi, licet tam arsto nexus cohærent singula membra, ut omnibus absolutam numeris neutiquam dicere possis scientiam nostram, nisi cognitione pecudum historia et physica fundamenti loco posita sit, eidemque superstruatur eorum cultura.

tura, Naturalem enim animalium domesticorum historiam, sine difficulti deliberatione hoc transferimus, partim quod ad illustrandam pecorum curam eorumque naturae accommodandam maxime valeat, partim quod curiosa magis nec proficia sit disquisitio conformatioonis eorum externae, statuum, commorationum, mutationum, instinctuum atque morum, nisi in usum adhibeatur oeconomum, partim quod Veterinarium non deceat in supina harum rerum ignorantia versari, partim denique quod connubio tam felici conjunctae sint scientia Zoologica et Veterinaria, ut limites inter easdem exacte definiri nequeant, unde Zoologis accuratissimis accidit, quod nec BUFFONIUS acutissimus ille rerum naturalium indagator evitare potuit, ut varia ad cultum pecorum pertinentia in historiam eorum naturalem furtim quasi irrepserint. Cultura pariter, quam sibi vindicare solent Oeconomi, partem scientiae eorum esse clamitantes, quam Oeconomiam Pastoralem compellare quibusdam placuit, a scopo Artis Veterinariae tanto minus abhorret, quo certius est, Auctores antiquissimos officia mulomedici ad curam pecorum domesticam extendisse, quod ex fragmento HIEROCLIS Hippiatri apud Gracos quondam celebris, et exemplo VEGETI cultum Bovis in 3:o Mulomedicinae suæ libro ex instituto pertractantis, probe perspicitur. Præterea male admodum rem suam perageret medicus Veterinarius, nisi quæ ad victimum pecorum et valetudinem tuendam necessaria sunt atque salubria, in numerato haberet; ne dicam, aptum illis non posse comparari pastum, nec probatum adhiberi corporis cultum, nisi et Historia eorum Naturalis et præcepta Medica, consilia nobis darent salutaria. Quid! quod nec incongrua vel superflua esset a materia proposita digressio, si hisce adhuc superadderetur de utilitate pecudum atque ratione non facultates tantum sed

et dapsiles eorum proventus in usus nostros convertendi concisa narratio, qualem Hippiatri nonnulli, artem equitandi et equos domandi pulcherrimam explicando, morborum doctrinæ præmiserunt, cum momenti multo majoris illam judicemus, quam ut Zoologorum brevitati & Oeconomorum oblivioni traderetur. Atque his omnibus, sparsis antea et vage disjectis, diligenter electis et in ordinem dispositis, proxime succedit investigatio Anatomica corporis animalis artificiosissime constructi, actionumque vitam sensus motum et sobolem largientium, cuius major fere fuit Mulomedicorum quam Zoologorum incuria; Cuique tandem subjungetur accurata de morbis ac vitiis, quæ nostra adfigere solent pecora, eorumque signis, cauissis, sedibus, gravioribus accessionibus et probatissimis remediis institutio, in qua proprium et unicum scientiæ Veterinariæ negotium consistere, temere adstruitur. Non quidem dubitamus fore, qui nos a genuino atque verissimo Veterinarii munere, medico scilicet, aberrare et in materias quas alienas putant justo latius difundere judicent; Illis tamen satis erit, si objiciatur, quod inconsideratum sit, res quæ unum idemque animal contingunt, quarumque cognitio in utilitatem nostram æquabiliter conspirat, a se invicem distrahere. Quemadmodum igitur in humana Medicina permagni omnino nostrum interest, cognoscere constitutionem corporis et animi inclinationes, antequam cuiusque naturæ attemperatum moderari possit vita regimen, itidemque corporis fabricam et actiones, priusquam morborum proprietates detegere et pericula removere valeamus; ita etiam in Veterinaria scientia nulla certitudo vel perspicuitas obtinetur, nisi, quæ hucusque attulimus momenta debito ordine animadversa sint atque notata. Horum autem universa compages & series Scientiam nobis constituit

stituit late patentem, non quoad argumenti delectum & excitationem tantum, sed etiam dispositionem, a pristino Artis Veterinariæ statu deductam atque reformatam, quam *Pecuariam* appellare consultum duximus, antiquis cognominibus a Latinis rei rusticæ Scriptoribus receptis de industria immutatis, partim quod non alia complectantur animalia quam quæ ad vehendum idonea sunt, unde veherina et, facta litteræ *b* in *t* transpositione, veterina dicebantur, partim quod medica vocabuli hujus interpretatione communiter sit eruditis rata atque consignata. Quod si vero hæc ipsa scientia, quæ naturalem indolem & diversas conditiones, eximias utilitates, delectum atque cultum, internam corporis structuram atque functiones, morbos atque medelas singulorum animalium domestico-rum seorsim exquiret et debito ordine persequetur, in tanta rerum jam definitarum multitudine quadantenus explicari poterit, articulatim illam discerni et membratim exponi oportet. Totum itaque Artis hujus comple-xum, respectu ad materiæ varietatem habito, in quinque determinatas Sectiones commode atque concinne distri-bui posse nobis visum fuit, quarum prima Historiam animalis Naturalem, secunda Utilitatem, tertia Delectum et Cultum, quarta Anatomiam et Physiologiam atque quinta Medicinam pertractabit. Harum jam compositionem in sequentibus paragraphis adumbrare animus est.

## §. 2.

In tradenda pecudum Historia naturali, contractum illum et inordinatum fraudemus fugiendum docendi momen-tum, quem sustinuisse Zoologos ut plurimum comperimus mirabundi; nam si ad naturam accommodari poterit cura pecorum, sedulo inquirenda est et paulo copiosius ad-ornan-

ornanda ejusdem historia, quam vitæ et cultus optimam magistram haud inepte dixeris. Enī autem delineationem hujus sectionis. Brevem de animalium qualitatibus, speciatim illis quæ certas tantum bestias ad mansuetitudinem idoneas reddiderunt, prolusionem exordii loco præmittimus, scilicet firma eorum corporis constitutione, flexibili voluntatum indole et docilitate animi, circumscripta alimenti vegetabilis appetentia, summa in viclu nostro et familiari re utilitate, et primigenia in prima generis humani patria sede vel commoratione, quas in iisdem animalibus conjunxit natura consultrix et provida utilitatum opportunitatumque omnium, ut de eo meliori nota curæ hominum se commendare possent. Præstruēto sic ad materiam aditu, ad definita sua genera naturalia, quibus bruta animantia distingvere solent Zoologi, mansuetā animalia redigere oportet, signis maximam partem externis, quibus vel convenienter vel dignoscuntur, appositis. Uniuscūjusque historiam ita jam absolvendam prospicimus, ut primum proprietates exponantur, non solum toti familiæ communes, sed etiam speciebus peculiares, quæ tam propinquæ ut plurimum cognationis sunt, ut multiplices tantum varietates eas esse cum ZIMMERMANNO et BUFFONIO recte dixeris, in diversis terris modo domitas, modo vario venationum apparatu indagatas et in usum adhibitas. Deinde ad vulgatissimas nostras proprius accedimus pecudes, quarum faciem et corporis formam universalem describimus, nomina vel ab Auctoribus Zoologicis vel a nationibus variæ aut lingvæ aut dialecti imposita recensemus, status diversos ab ætatis gradu, sexu, admisura vel castratione, graviditate vel sterilitate pendentes, eorumque appellations usitatissimas determinamus, ætatisque cursum et tempestivitatem cuique datam indicamus. Deinde natale solum et domiciliū

lium primarium, unde egressæ sunt pecudes, e peregrinorum relationibus elicimus, latamque earum, per universam fere terram continentem, ejusque remotissimos angulos et insulas habitabiles, dispersionem et stationes vastissimas, Zimmermanno præeunte exploramus. Tum multiplices illas et præcipuas referimus varietates & dissimilitudines, non solum corporis conformatio[n]e & magnitudine, sed etiam vestitu varie colorato atque capillato, cornuumque, si adfuerint, diversa forma & amplitudine conspicuas, quas a continuis auræ vitalis vicissitudinibus & tempestatum inversionibus, vixtus & paſcuorum commutationibus, diversa culturæ administratione, & servitutis jugique in eas imperio, nec non a conjugiis per consuetum genitalia marium abſcindendi vel circumligandi morem abruptis et valde debilitatis, quæ per tot seculorum successiones subierunt & perpetuae sunt pecudes, effectas esse & illatas, nullo perspicitur negotio; simulac comparationem inter varias terrarum distitarum & regionum progenies fideliter instituimus. Postea animi ingenium cujusque animalis, vel naturam cuique ingeātam pernoscere, variamque docilitatem, in muneribus suis laute & ad nostrum arbitrium nutumque totum perficiendis, memorabilioribus quibusdam exemplis historicis illustrare nobis convenit. Mores denique & instinctus, quos in naturalibus suis desideriis & cupiditatibus satiandis & explendis, interno impulsu sequuntur & immutabili necessitate retinent singulæ pecudes, investigandos & depingendos suscipimus, pervidentes, qua ratione certa sibi eligant pascua, non situ tantum, sed & plantarum sponte nascentium qualitate & ubertate illis apta & commendabilia; quomodo pastum suum capessere, herbasque fruges vel radices carpere, manducare vel ruminare soleant; quo delectu & gestibus potionis sibi salutares accipiant; qua naturæ lege somnum capiant & placidam

per membra quietem irrigent; quo imprimis tempore amotis agitentur stimulis, & quo ritu nuptias suas celebrent; tandemque qua ratione hostium vim & impetus reprimere conentur, & quænam ex Insectorum ordine maximas illis molestias admoveant.

## §. 3.

Idoneam nobis & concinnam a pecorum Historia Naturali ad culturam sistit transgressionem, de utilitate eorum & multiplici usū perspicua & Technologorum commentariis illustrata institutio; Quam quidem ita compendiam præstruimus, ut a facultatibus eorum & agilitate corporis, ad redditus & opportunitates singulas, quas nobis largiuntur, debito ordine progrediamur. Huc igitur deducenda est scientia, equos generosos domandi, castigandi & perito oris regimine ita dirigendi, ut moribus ex placido concitatis et ex concitato mitissimis, firmiter, ornate & tolutim incessum in cursu sive citationi sive remissiori capiant, in quo & equitis officia & equi seorsim & probe consideranda veniunt. Similiter præcipiendum est, qua ratione mansuetificienda sunt vel instruenda cetera animalia domestica, & quo moderamine jugo suo subjicienda sunt cervices boum infatigabiles. His peractis, ad fructus eorum quæstuosissimos pedem promovemus, advertentes primum, quinam ad nos affluent quamdiu vita & sanitate fruuntur pecudes, & deinde qui mactato animali in nos redundant. Ad priorem classem referimus lac sapidissimum, cuius proprietates physica & chemica indagine inquirendas, qualitates & vires eximias, usum in victu, morbis levandis vel impugnandis, & privata nostra Oeconomia, varios preventus, (ciclicet flores lactis, lac acidulatum vel pingviculatum, Butyrum, lac ebutyratum, Caseum, serum lactis, acetum & saccharum lactis, fusijs & sigillatim exponimus; & præterea ciborum potusque reliquias, aut per alvum ej-

ejectas, aut e vesica profusas, quarum summa in agtis latandis & fœcunditate terræ adaugenda utilitas, variæque in re medica & domestica virtutes accuratiorem postulant explicationem; sub juncta brevi, de exhalationum vivi animalis medicatrice vi, narratione. Alteram preventuum, quam modo distinximus seriem, membratim eo ordine persequimur, quo in pecoribus laniandis occurunt atque separari solent. A sangvine itaque primordia capimus, cuius alimentariam indolem, pinguedinem hortis pergratam, usumque in confectione cœrulei beronensis & decoctionibus sacchari & salium, variisque operationibus domesticis commemoramus. Hinc ad reliqua momenta mox perstringenda nos conferimus, scilicet vapores animalis nuperime mactati, cruda tegmina & hirsutas pelles, pilos, villos vel setas, cornua & unguis, pinguedinem, quam aut sebum aut adipem nuncupamus, membranas, intestina, vesiculas & cetera abdominis vel pectoris viscera, fel, carnem, osla eorumque medullam; singulorum ex his expositionem ita adornaturi, ut innotescat, non solum quo usque eorum utilitates aut in victu nostro & corporis cultu, aut in aliis rei rusticæ vel privatæ administrationibus fese extendant, verum etiam quo artificio in opificum officinis elaborari atque præparari debeant, antequam in usum adhiberi possunt. Hæc tamen dum præcipimus, aliam atque aliam pro diversa animalis qualitate ingredimur docendi viam; nam in utilitate equorum tradenda, facultatibus tantummodo acquiescere jubet communis hominum suspicio cœca, qua seducti, non tantum non esculenta reputant eorum corpora, sed & immunda atque tam foeda, ut salva decentia ne quidem tangi possint; e reliquarum autem pecudum corporibus, nihil prorsus projiciendum vel inutile judicamus, Canem si excepérис, quem, præter nationes quasdam barbaras, & in primis insularum maris Pacifici inco-

has, qui teste Cook canina carne vescuntur, nemo adhuc in lanienam traduxit.

## §. 4.

Præmiis, quæ rem consequuntur pecuariam, opimis jam delineatis, ad culturam pecorum solerter adhibendam invitamus, & tanto fortius commovemur, quo certius est, pecudes, haud secus ac agros, quantumvis fertilissimos, nihil ferre nisi magno labore multaque præsidentia quæsitum. Duplicem autem in hoc negotio curam impendimus, in delectu felicitet sobolum, & cultu tempestivo collocandam, unde etiam duo hujus sectionis capita distingvenda sunt. Primum absolvitur censura signorum accurata, quibus dignoscuntur pecudes formosæ, incolumes, fructuosæ, ab adspectu agiles, ad obsequia habiles, & ad certamina laborum patientissimæ; quam quidem ita dirimere oportet, ut particulares illæ notæ, quæ generosum admissarium, operarium bene morigerum, nobilem prolis procreatricem, pecudesque uberrime lactantes, & saginandas designant, sedulo explicentur; signis, quæ in tenerima earum ætate mox animadvertenda sunt, appositis. Hujus itidem loci erit, indicere opportunitatem temporis, & alias prudentiæ regulas, quas in congreſsu conjugali pecorum admittendo vel promovendo observare debeamus, si stirpem eorum egregiam sustinere vel humiliorem emendare optaverimus; quibus insuper subjungimus dijunctionem ætatis eorum, modo a dentium pullinorum lapsu & renovatione, attritu vel coloribus, modo a cornuum incrementis annularibus cognoscendæ; quorum omnium, in emtionibus & delectu pecorum faciendis, recordatio maxime necessaria habetur. Alterum in allata argumenti dispositione momentum constituit ipsa cultura pecorum, quæ ad ætatem eorum & vices annorum præcipue accommodari debet. Præmitimus igitur commemorationem rationis, pullos a partu usque

usque quo adoleverint nutriendi & educandi, in futuram selecti gregis spem, vel etiam saginandi, in macellum ut perveniant bene pinguefacti; qua expedita ad adultorum pecorum victimum & cultum exponendum deinceps nos conferimus. Si vero in gravi hac materia rite versabimur, aestivam & hibernam eorum passionem atque custodiam discernamus & seorsim adumbremus necesse est. Prius quod attinet, dum scilicet sole aestivante sub dio pascuntur pecudes, ita iisdem providere contendimus, ut pascua illis assignentur cuique apta, non solum ubertate graminum late virentia, sed etiam aquarum potui probatissimarum rivis vel fontibus uda, & umbraculis passim obsita; ut variis refectibus, qui vigorem & animi & corporis intendunt atque sanitatem conservant, nonnumquam delectentur; & ut cubilia nocturnaque claustra in agro vel alibi posita, vel etiam tentoria in longinquis pascuis exstruenda, studiose procurentur. Hiemalis vero pecorum cultura, quam negotii multo pleniorem esse in aprico positum est, multiplicem nobis adfert sollicitudinem. Largum enim illis et cuique salubre pabulum comparabimus e plantis & graminibus, quae ab iisdem in deliciis habentur, & quae lactis libertatem excitant & augent, herbas vel venenatas vel graveolentes vel alias ab illis sponte repudiatas quantum fieri potest evitaturi. Deinde hiberna eorum stabula cum suis praesepiis ita construere oportet, ut lucida sint et singulis idonea, & ut cultus pecorum commodus nobis evadat & ambagum immunis. Tum ordinem, quo pastum, potum & cupedias varias illis distribuere debeamus, exacte servare, & quae deficiente feno, vices stramentorum quadam tenus supplere possint probe cognoscere nobis incumbit. Postea reliquum corporis cultum, aeris inclusi renovationem & stabulorum munditiem frequenter everendo & ductibus urinæ conciliandam, diligenter adhibebimus.

mus. Postremo attendenda censemus varia, quæ curam emislatorum, operatorum & altium specialiter concernunt, & quæ tempore graviditatis & partus pecudibus conveniunt.

## §. 5.

Anatomicam & Physiologicam animalium domesticorum disquisitionem, quam aut cursim tantum attigerunt, aut flocci penitus habuerunt Mulomedici, ita concinnare studemus, ut omnes corporis partes, solidæ vel fluidæ, earumque usus fideliter & perspicue evolvantur; in quo brevitati & simplicitati inserviendum, ne immoderata subtilitatum mole obruamur. Telam vero ab ossibus exordimur, quæ staturam totam & firmitatem corpori impertinent, in qua pertexenda conformatioinem & juncturas singulorum ossiculorum, mirabilesque commissuras ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos motumque & omnem corporis actionem accommodatas, nec non ligamenta præcipua & membranas, quibus astriguntur omnia membra, accurate describimus, delicatissima pedum compactione in primis animadversa. Mox fabricam, situm & radices muscularum, variumque in diversis motuum generibus efficiendis agendi modum a capite ad calcem commemoramus, & concisam motus muscularis ab insita vi fibrarum irretibili derivandi ideam tradimus. Deinde a compagine corporis ad viscera & vasa transeuntes, ea primum exponenda suscipimus, ex quorum inoffensa actione vita animalium in integrum pendet; Perlustramus igitur pectoris concamerationem & dissepimenta; cordis constructionem artificiosissimam & pervicacissimum in recipiendo & dispensando sanguine negotium; arteriarum in ventriculis cordis ortum & fabricam, progressionem & in plures truncos propediem ramosissimos divisionem, rapidissimamque in sanguine propellendo & per omne corpus diffundendo vim & in variis

variis humoribus secernendis ministerium; venarum tex-  
 turam & dispersionem, atque e toto corporis ambitu in  
 cordis atriis congressum, earumque in sanguine post per-  
 actas secreciones residuo resorbendo & cordi restituendo  
 usum; sanguinis ipsius naturam & mirabilem composi-  
 tionem; spongiosam pulmonum fabricationem, & aspe-  
 ræ arteriæ cartilaginosos ductus, ostium & operculum,  
 eorumque in respirationis officio persungendo & variis  
 sonis immodulatis excitandis actionem; Cerebri tenerri-  
 mam pulpam & mumenta valida, animaque brutæ o-  
 perationes circumscriptas, vel relaxationem; nervorum  
 primiorum origines & multiplices distributiones, sen-  
 silissimam vim, & in omnes corporis motus & mutatio-  
 nes imperium vel influxum; immo pretiosissimos sen-  
 suum exterorum apparatus, atque sedes quibus & ad u-  
 sum apte & ad incolumentis custodiam continentur.  
 Hinc ad viscera, quæ nutritionis munere funguntur, pro-  
 gredimur, nimirum: oris caveam & manductionis or-  
 gana, canalem, qui transitum e faucibus alimentis præ-  
 bet, fibris muscularibus ditissimum, ventriculos & tu-  
 bum intestinalem, reliquaque viscera & glandulas, quæ  
 ad consummandam ciborum digestionem conferunt, quo-  
 rum omnium structuram situm & nexus describimus,  
 universam alimentorum per singula stadia transmutatio-  
 nem exprimimus, succique lactei in vasa sanguinea deri-  
 vationem atque vias subtilissimas detegimus. Postea ge-  
 nerationis instrumenta utriusque sexus, doctrinam con-  
 ceptionis & gestationis phænomena præcipua, paucis ad-  
 umbramus; & præterea urinæ officinas scilicet renes &  
 vesicam, Lienisque Omenti & glandularum memorabilia  
 exponimus. Ultimum fabricam cutis, qua corpus obte-  
 gitur, ejusque velamenta pilosa vel lnea, frontis orna-  
 menta cornea, & pedum firmamenta unguilata, quorum  
 præprimis exacta cognitio acquirenda est, delineamus.

Su.

Supereft adhuc, ut methodi morbos pecudum per-  
texendi extrema lineamenta ducantur. Summam autem  
in hac materia perstringenda parsimoniam, fvatet nobis  
atque jubet paginæ hujus contractio & restrictissimi limi-  
tes, quare in paucissimis jam acquiescimus, copiosorem  
hujus sectionis expositionem & ordinationem alia occa-  
sione præstituri. Ingressum nobis præstruimus gener-  
aliōi de morbis eorumque cauſis signis & eventibus  
maxime obviis commentatione, qua substrata diversa æ-  
gritudinum genera, five ab humorum corruptione & pra-  
va indole, five a solidarum partium vitio vel solutione  
protracta, in determinatum quemdam ordinem redigi-  
mus, & sigillatim ita investigamus, ut ipsa morbi spe-  
cies exacte definiatur: ut primaria ejusdem sedes dete-  
gatur: ut morbi insignia & notæ fidissimæ, ex quibus  
in nuto animali, cui proprium nec manu nec voce lan-  
gvorem indicare datum est, omnis morborum cognitio  
haurienda est, accurate exponantur: ut mala secundaria  
& graviores accessiones, quæ morbo legitimo interveni-  
re solent, diligenter considerentur: ut cauſæ, quæ mor-  
bos & vitia vel præparant, vel proxime efficiunt, vel  
etiam alunt, sedulo inquirantur; ut stadia singula &  
de cursus morbi universus perspicue determinentur; ut præ-  
fensiones eventuum vel prædictiones, qui auncipites & a-  
cutiores morbos consecuturi erunt, saltim probabiliter  
adstruantur; & ut universus vel medicamentorum vel  
instrumentorum atque manuum apparatus, omnisque  
ægrotantium animalium cura apte, cito, tuto  
& radicaliter applicentur.